



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria**

**Dionysius <Cartusianus>**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 D 1926**

enarratio 24 ca. post q[ui]nq[ue] autem dies art. 24

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38702**

IN ACTA APOS. EXEG.  
ambigo, miser potius quam felix fuisti.

¶ Expositio capituli. XXIII. Post  
quinque autem dies.

Articulus viceſimusquartus.

**P**ost quinque autem dies descendens princeps sacerdotum Ananias cum senioribus ¶ quibusdam Iudæis ¶ & Tercullo quodam oratore ¶ .i. viro eloquente seu rethore qui esset aduocatus, & verbis ornaret materiam, vt causa eorum rationabilior videretur. Eloquentia enim animum mollit, & ad consentiendum aures inclinat, nisi sapientia audientibus assit atque iusticia ¶ qui adirent præsidem ¶ Felicem, in Casarea ¶ aduersus Paulum. Et citato Paulo cœpit accusare Tercullus dicens. Cum in multa pace agamus p te ¶ .i. valde pacifice tuo viuam<sup>9</sup> regimine ¶ & multa corrigantur per tuam prouidentiam. ¶ Præsidentis enim est bona conseruare, imo & vicissim in melius commutare, mala corrigere, & collapsa in pristinum reformare ¶ semper ¶ .i. omni tempore quo nobis præfuisi ¶ & vbiq; ¶ in nostra prouincia ¶ suscipimus te optime Felix cum omni ¶ .i. plena ¶ gratiarum actione. ¶ In primis rethor iste iudicis beneuolentiam captat, eumque vehementer commendat, vt blandis alliciatur sermonibus, nec ab eis dissentiat, quos suis beneficijs conspexit adeo gratos. ¶ Ne autem diutius protraham te ¶ .i. ne longiori te proœmio occupem, quamuis multo amplius sis laudandus, nempe cum iudex sis multa habes peragere, nec vacat tibi vacare præludijs ¶ oro breuiter audias me pro tua clementia. ¶ id est, propter tuam pietatem, si non ob merita nostra. ¶ Inuenimus huc hominem pestiferum ¶ id est, animarum infectorem in cathedra pestilentie residentem ¶ & concitantē seditioem omnibus Iudæis in vniuerso orbe ¶ auertendo quosdam eoz a lege patrum suoz ad nouam legē. Propter quod inter eos & alios in pristina lege manentes seditio oritur ¶ & authorem seditionis sectæ Nazaræorum ¶ id est, vnum de principalibus prædicatoribus

Euangelicæ nouæq; legis, quam non arbitramur nisi  
 seditionis originem, sectam seu hæresim Nazarænoꝝ.  
 i. Christianorum, qui tunc a Iesu Nazaræno, Nazarenis  
 a Iudæis quodam vocabantur opprobrio. Postea vero  
 in Iudæa hæresis consurrexit quorundam qui Iesum  
 esse Christum & dei filium de uirgine naxum creden-  
 tes, cum Euangelio simul legalia obseruarunt. Vnde  
 cum Iudæi uoluissent esse & Christiani, nec Iudæi fue-  
 runt nec Christiani. Et isti hæretici uocati sunt Naza-  
 reni [ qui etiam templum violare conatus est ] indu-  
 cendo in illud gentiles. Quod sibi mendaciter imposue-  
 runt, quanquam conuersi gentiles digniores fuerunt  
 ingredi templum, quam infideles Iudæi [ quem appre-  
 hensum ] .i. tentum & captum a nobis [ secundum le-  
 gem nostram iudicare uoluimus ] damnando eum, tan-  
 quam legis diuinæ uolatore[m] atq; blasphemum. [ Su-  
 perueniens autem Lysias tribunus cum magna uiri-  
 tute eum de manibꝰ nostris, a quo ] Lysia [ poteris ] tu  
 [ ipse iudicans, de omnibus istis cognoscere ueritatē ]  
 Quasi dicat. Ipse attestabitur uerbis nostris [ Rñdens  
 autem Paulus annuente sibi præside dixit. Ex multis  
 annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo, p  
 me satisfaciam. ] Non præmisit Apostolus uerba mul-  
 centia sicut Tercullus, sed ipsa ueritate fuit contentus.  
 [ Neque in templo inuenerunt me cum aliquo dispu-  
 rantem, aut concursum facientem populi, neque in sy-  
 nagoga, neque in ciuitate. ] Et quamuis ista fecisset  
 Apostolus prædicando de Christo, non utiq; offendis-  
 set, quia & alij Apostoli præsertim Petrus & Ioannes  
 ante eum ista fecerunt, quibus & Christus præcepit.  
 Eritis mihi testes in Hierusalem. [ Confiteor autem  
 tibi, quod secundum sectam ] id est, Euangelicam legē,  
 & fidem ab alijs diuisam [ quam dicunt hæresim sic de  
 seruo deo patri meo ] qui per gratiam singularem  
 & deuotissimum cultum est specialiter deus & pater  
 meus [ credens omnibus quæ in lege & in prophe-  
 tis scripta sunt ] tanquam uerbis diuinitus reuelatis  
 aut scriptis [ spem habens in deum quam & hñpsi ex-

Actu. 3

Actu. 1.

**Iob. 19.** peccant. Videlicet resurrectionem futuram. In die no-  
uissimo iustorum & iniquorum. Ex quo elicitur i-  
stos de pharisæorum secta fuisse, non Saducæorum,  
& quod pharisæi instantius persecuti sunt Paulum  
Saducæi. Post annos autem plures. a mea ad Chri-  
stum conuersione. eleemosynam facturus in gentem  
meam. Id est Christianis in Hierusalem habitantibus  
allaturus collectas, eis a gentibus cōuersis missas. Ve-  
ni in Hierusalem, & oblationes & vota facturus. Ibidē  
in templo, secundum quod Iacobus & seniores Christi-  
ani cum ipso, mihi suaserunt. In quibus inuenerūt me  
purificatum in templo. Quia in hoc legalia obseruaui,  
& dies purificationis prædicauī, vt dictum est supra.

**Sup. c. 21** Et apprehenderunt me. In templo. clamantes. Co-  
ram tribuno. Tolle inimicum nostrum quidā ex Asia  
Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse. Si accusatio  
ista deberet reputari idonea. Quoniam accusator & ac-  
cusatus simul coram iudice debent consistere. Aut i-  
psi. i. Iudæi isti hic stantes. dicant si quid inuenerūt  
in me iniquitatis. Nam quæ mihi obijciunt ex Asiano-  
rum habuerunt relatu. cum starem in consilio eorum.  
Hierusalem. nisi de vna hac solum modo voce, quoni-  
am de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a  
vobis. Distulit autem illos Felix. non statim expedien-  
do Iudæos. certissime sciens de via hac. Quia iam no-  
men Christianorum sibi innotuit, & multos esse Chri-  
stianos cognouit. dicens. Cum Lysias tribunus descen-  
derit audiam vos. Io Iudæi. Iussitque centurioni cu-  
stodiri eum. Videlicet Paulum. & habere requiem.  
vt libere ingredi posset & egredi. nec quenquam pro-  
hibere de suis. Iputa discipulis Pauli. ministrare ei.  
Post aliquot autem dies veniēs Felix cum Drusilla vxo-  
re sua, quæ erat Iudæa. Fuit quoque vt in Scholastica  
fertur historia, pulcherrima, & relicto viro priori, nu-  
psit huic Felici. Et quoniam fuit Iudæa, Paulum liben-  
ter audiuit. vocauit Paulum & audiuit ab eo fidem quæ  
est in Christum Iesum. Disputante autem Paulo de iu-  
sticia & castitate, & iudicio futuro, tremefactus Felix

respondit. De his tribus Paulus differuit, quoniam  
 contra iusticiam ex incontinentiā Felix conjugem istā  
 adeptus fuit. Quod & ipse cognoscens non immerito  
 contremuit, audito quod a deo esset iudicandus, sed nō  
 tetigit eum spiritus sanctus complete, nec conuertere eum  
 ad fidem, sed dixit. Quid nunc attinet loqui? De his  
 Quasi dicat. Non ideo te vocavi vt tractaremus de istis  
 Vade: Tempore enim opportuno accersiam te. Simul  
 & sperans quia pecunia daretur a Paulo quem vidit  
 tot spiritalem hominum patrem, a quibus putauit eū  
 plurima collegisse propter quod & frequenter accer-  
 siens eum, loquebatur cum eo. vir cupidus & volupta-  
 tibus deditus, atq; ob id ad Euangelicā sapientiā susce-  
 ptionem indispositus & indignus. Biennio autem ex-  
 pleto accepit successorem Felix Porcium Festum. Hoc  
 de biennio conuersationis Pauli in Cæsarea, non præ-  
 sidentis Felicis Beda exponit, in Scholastica tamen hi-  
 storia dicitur quod nondum fluxerant duo anni ex quibus  
 Paulus venit Hierusalem, iccirco ibidem exponitur de  
 biennio ab accusatione, qua Iudæi accusauerunt Felicē  
 apud Neronem imperatorem, & biennio ab accusatio-  
 ne ista expleto, amotus est a præsidatu, & substitutus  
 est ei Festus. Volens autem gratiam præstare Iudæis  
 Felix, reliquit Paulum vinctum. vt per hoc in fine præsi-  
 datus sui placet Iudæis.

¶ Expositio capituli. XXV. Festus  
 ergo.

Articulus vicesimus quintus.

Festus ergo cum venisset in prouinciam Iudææ,  
 seu Syriæ Palestinæ cui præses fuit directus post  
 triduum ascendit Hierosolyman. videre regiam  
 urbem atque metropolim Iudæorum, & forte ob alias  
 causas a Cæsarea Palestinæ de qua sæpe dictum est  
 adieruntque eum principes sacerdotum. vt Paulū  
 ad eos transmitteret, volentes eum in via extinguere.  
 Festus autem respondit seruari Paulum in Cæsarea,  
 se autem maturius profecturum. id est, tempore op-  
 P